A sc.
2565

<366122171200 10

<366122171200 10

Bayer. Staatsbibliothek

Christ poel

&c.

25665.

INSTRUCTIO

PRACTICA

PRO

DELIBERANTIBUS

DE CERTO VITÆ

STATU DELIGENDO

In gratiam potiſſimùm

LITTERATÆ

JUVENTUTIS

DENUO RECUSA.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

TRIDENTI, MDCCXXXIII.

Ex Typographia Jo. Bapt. Monauni
Superiorum Permiſſu.

INSTRUCTIO

PRAECTICA

PRO

ADOLESCENTIBUS

DE LIBERANDIS

DE CERTO VITAE

IUVENTUTIS

PRAECIO RECTE

CONSTITUENDO.

Certum vitæ genus constituere est res tanti momenti, ut totius vitæ vel rectè, vel malè traducendæ fundamentum in eo sit positum. *Gregor. Naz. Orat.* 23.

Bayerische Staatsbibliothek München

QUamquam DEUS omnes velit fierî ſalvos, adeòque ſingulis aliquam gratiarum ſeriem præparaverit, quæ, ſi â nulla creata voluntate turbetur, illos certò ad Cœlum deductura eſt, non tamen per eandem omnes viam, ſeu vitæ ſtatum deducit, ſed gratias efficaces aliquibus paratas alligat ad certum ſtatum, quem ſi ipſi vel defectu prudentis deliberationis non agnoſcunt ſibi â DEO præfixum, vel agnitum amplecti nolunt, ſed ad alium ſe transferunt, poſſunt in eo quidem ſalvarî, ſed quia filum divinæ circa ſe Providentiæ turbârunt, Deus illos in gravia peccata labi ſinit, itáque gratia finali, & æterna beatitudine ſua culpa privantur. Hoc doceris ex illo Prov. 1. *Vocavi, & renuiſtis .. Deſpexiſtis omne conſilium* (obſerva: *Conſilium*) *meum ... Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Hinc S. Greg. in Epiſt. ad Maurit. Imp. *Sunt, qui*

niſi omnia reliquerint, ſalvari apud DEUM nullatenus poſſunt. Videndum proinde cuique ſalutis ſuæ ſtudioſo, ne in tam grave diſcrimen per ſuam incuriam ſe conijciat, ſed prudenter de vitæ ſtatu deliberet, ut agnoſcat, quâ ipſe via ſe ad Cœlos deducendum ſperare poſſit. Quod deliberandi Officium præcipuè litterarum ſtudioſis incumbit, ut qui ad plures ſtatus apti, majorem dubitandi, ac deliberandi rationem habent, quàm Amuſij, quibus à potiori ſtatum determinat ipſa vitæ, & officiorum ratio. Inter ipſos autem ſtudioſos potiſſimùm ii ſibi cordi ſumere deberent hoc negotium, qui majora à DEO acceperunt talenta, ne, ſi ea fortaſſis hoc fine data ſint, ut ad lucrum animarum impendantur, tantò graviùs puniantur, ſi iis ſolùm ad augendas opes & honores, & profana Officia præter voluntatem DEI abutantur. Hoc itaque tanti momenti negotium ut ritè fiat, ſequentia ſubſervient documenta, ſeu conſilia; ex quibus ea ſibi quiſque ſeliget (nec enim omnia ſunt pro omnibus) quæ

ſuæ capacitati & fervori congrua judicabit.

1. Deliberaturus determinet ſibi certum tempus duorum fortè, trium, aut 4. menſium, cum firmo propoſito intra illud ſingulari curâ adhibendi ea media, quæ faciunt ad agnoſcendum, in quo ipſum ſtatu DEUS vitam agere velit. Tale tempus poſſet eſſe v. g. tota Quadrageſima, vel adjuncto ſimul toto tempore Paſchali uſque ad Feſta Pentecoſtalia ad impetrandam gratiam Spiritûs Sancti: Vel tempus ſufficiens pro 15. Sacris Communionibus offerendis in memoriam totidem Myſteriorum ex vita Chriſti, Beatiſſimæ Virginis: vel 9. Septimanæ in honorem SS. Angelorum, aut S. Joſephi, aut S. Antonij Patavini: Vel decem dierum Veneris devotio ad S. Franciſcum Xaverium: vel alia ſimilis pro cujuſque affectu.

2. Intra præfinitum tempus ſingulari curâ devitanda ſunt peccata, quibus quiſque ſe magis obnoxium ſentit, præſertim gravia; in malevolam enim animam non intrabit Sapien-

tia; neque mirum eſt, quòd hi, qui peccatis gravibus ſunt dediti, vel nec cogitationem de deliberatione admittant, vel vocantem DEUM non audiant, aut vocationes habitas perdant; ſunt enim hæ gratiæ ſpeciales, quæ non cuivis indigno dantur. Unde pro puritate conſcientiæ ſingulis aut certè alternis ſeptimanis Sacramenta Confeſſionis & Euchariſtiæ obeunda ſunt.

3. Opera quotidiana, præſertim ſpiritualia diligenter peragenda; conficiendus proinde & ſervandus Ordo diurnus certarum precum, & devotionum perſolvendarum ad hunc finem, ut à DEO illumineris; præcipuè ſub Sacrificio Miſſæ cor DEO offerendum ad quemcunque ſtatum. Cavendum tamen, ne prolixitate nimia orationum, aut aliarum devotionum tempus ſtudiis deſtinatum notabiliter decurtetur: Imò ipſis etiam literis ſi diligenter ſtudeas cum bona intentione, rem DEO valde gratam præſtas, aptúmque, ac dignum te reddis, cui DEUS ſuam Voluntatem manifeſtet.

4. Eli-

4. Eligè quosdam Sanctos Patronos pro felici successu hujus negotii. Talis sit præcipuè Beatissima Virgo, tuus S. Angelus Custos, illi Sancti, qui specialem habent relationem ad illos status, intra quos tua potissimùm versatur deliberatio, ut sunt SS. Fundatores Ordinum, &c. ac etiam Sanctus tui Nominis. Hos certis precatiunculis coles. Juvabit etiam subinde diebus Recreationis pias instituere peregrinationes ad varias Ecclesias, præsertim tuorum Patronorum, ibique ardenti oratione DEO deliberationem tuam commendare.

5. Assuesce frequenter usurpare preces jaculatorias, & pia suspiria, qualia sunt: 1. *Domine, quid me vis facere* 2. *Paratum cor meum*, DEUS *paratum cor meum*. 3. *Loquere, quia audit servus tuus*. 4. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*. 5. *Fiat, Domine, â me, in me, ac de me perfectissimè in omnibus tua Sanctissima voluntas*. 6. *Non, quod ego volo, sed, quod tu vis, ò* DEUS, *hoc fiat*. 7. *Veni Sancte Spiritus,*

ritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. 8. Dà, Domine, quod jubes, & jube, quod vis. 9. Ave maris Stella. Iter para tutum. 10. Angele DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, in electione status illumina, rege, & guberna, &c.

6. Assumenda aliqua opera mortificationis cum consilio Confessarii: qualia possunt esse: cilicia, flagella, stratum durius, abstinentia interdum ab aliquo cibo, vino, &c. Oculorum refrænatio à curiositatibus, & alia similia eo fine susceptа, ut à DEO lumen impetres. Huc etiam conducunt eleemosynæ tum materiales ex pecuniis tibi pro lusu concessis, tum spirituales pro instructione rudium in Mysteriis Fidei, vel litteris, aut per orationem pro peccatoribus, pro animabus purgatorii, illis præsertim, siquæ patiuntur propterea, quòd in electione statûs non penitus se Divinæ voluntati accomodaverint.

7. Præcìpuè invigilandum, si DEUS occasionem aliquam offerret operis Heroici; nam per unum ta-

le opus homo plus mereri potest ; quàm per sexcenta vulgaria. Tale autem opus est, quod in se valde est difficile ob gravissimam resistentiam naturalis inclinationis, est tamen certò valdè gratum DEO. Quia verò Adolescenti inexperto facilè aliquid sub ratione boni proponi potest, quod tamen DEO non placet, unde ut contra prudentiam non erret, non facilè simile quid tentabit sine consilio Viri spiritualis, præsertim si opus illud posset valetudini nocere, aut majora fortè bona impedire. Talia opera aliquando fieri possunt nemine advertente, & tunc eò magis secura sunt, quò minùs exposita sunt vanæ gloriæ, siquidem etiam reliqua requisita adsint.

8. Quotidie vel aliquoties per hebdomadam aliquos tibi præfigas pro lectione pii libri, quales sunt: Thomas Kempensis, Vita Christi, & Sanctorum, & alii tractantes de quatuor Novissimis, &c. Præcipuè si possis habere aliquem de Electione statûs tractantem, erit is præ cæteris utilis. Præterea subinde animo

ab aliis occupationibus libero, & in DEUM elevato considera seriò, quem tibi à DEO vitæ statum designari putes. Pro his considerationibus optimum tempus est post Sacram Communionem in ipso Templo, vel domi eadem die, aut etiam tempus Vespertinum post examen conscientiæ, &c. Hæ considerationes fieri debent cum seria animi applicatione juxta cuiusque capacitatem: quia in his consistit ipse actus deliberationis. Quæ autem, & quomodo sint perpendenda, ex subjectis considerationibus disces, quas attento animo volvere, & revolvere, ac examinare sæpiùs erit utilissimum.

9. Sed ante omnia ponendum solidum fundamentum bonæ electionis, quod consistit in perfecta indifferentia, seu animo ita disposito, ut paratus sis quemcunque statum amplecti, ad quem te â DEO destinari intellecturus es. Defectu hujus indifferentiæ multæ electiones non sunt ritè factæ, præsertim eorum, qui se resolvunt ad statum sæcularem: Hi enim frequenter vel penitus non de-

deliberant, vel ad deliberationem accedunt animo ita obfirmato ad illum ſtatum, ut ab illo dimoveri ſe non ſinerent, niſi per vocationem prorſus violentam. Imò potiùs animus ritè diſpoſitus, deberet eſſe magìs inclinatus ad ſtatum religioſum, ut pote ſecundùm ſe magìs perfectum, DEO magis placentem, vitæ Chriſti conformiorem, pluribus abundantem adjumentis ad ſalutem, & paucioribus obnoxium periculis, &c. Ut nimirum hoc elicito appetitu animus ex innata inclinatione tendens potiùs ad libertatem vitæ ſæcularis, ad perfectum æquilibrium, & indifferentiam conſtituatur. Neque tamen propterea ſtatim eligenda Religioſa vita tanquam perfectior quoad ſe; quia DEUS non ſemper vult â nobis eligi, quòd eſt in ſe perfectius, ſed illi relinquenda determinatio; ea verò quænam ſit, explicata hucuſque media manifeſtabunt.

Ad deliberandum de ſtatu vitæ admittendi non ſunt, 1. qui ſunt nimis immaturæ ætatis, & ratione nullam penetrare adhuc poſſunt

Nimiùm leves, & inconstantes, quibus hodie placet aliquid, quod cras displicet. 3. Qui habent passiones indomitas, naturam valde asperam, judicij sui tenacem, vel qui obstricti sunt pravis habitibus peccatorum, antequam eos emendent. 4. Qui jam sunt determinati ad aliquem statum; non enim habent hi primum fundamentum ad deliberationem necessarium, nempe indifferentiam. 5. Nimiùm viribus debiles, aut morbis obnoxii: nimiùm stupidi, utpote qui tam serium, & grave negotium, quale est deliberatio de statu vitæ, frustra assumerent.

10. Deliberatio non solis Philosophis, sed ipsis etiam Humaniorum litterarum Studiosis suadenda est. Non tamen omnibus idem status quæstionis præfigendus; nam Rhetoribus, & Poetis solùm videtur inquirendum, an non jam nunc aliqua DEUS signa ostendat, quibus ipsos ad statum Religiosum evocet? Talia si deprehendantur, examinanda sunt, & si vera sit vocatio, executioni est mandanda. Si verò ad positam quæstionem

nem DEUS nondum ſatis voluntatem ſuam manifeſtet, non continuò decernendum: ergo manebo ſæcularis. Hæc enim pro talibus præpropera, & imprudens communiter eſſet reſolutio, niſi jam tum, ut interdum fit, ſatis clara habeantur ſigna diſſuadentia ſtatum Religioſum deliberanti, non ſolùm pro hoc tempore, ſed pro quocunque ſecuturo. Talia verò ſigna ſi abſint, etſi non alia ſpecialis cauſa, v. g. ætas, urgeat ad abſolutam determinationem, animus interea eſt ſervandus indifferens, & rurſus alio tempore, vel anno renovanda modo explicato deliberatio; & ſi ne tunc DEUS ad ſtatum Religioſum avocet, accipiendum id pro ſigno voluntatis divinæ, ut animo adhuc indifferente in ſtudiis progrediaris, ſi quidem eidem ſtudio, puta Philoſophico, etiam manſurus ſæcularis operam daturus eſſes. Et ſic tertio, ſic quarto anno eadem devotio, & deliberatio poteſt repeti, donec vel DEUS clariora det indicia poſitiva pro aliquo determinato ſtatu, vel ipſa Ætas, aut finis

ſtu-

ſtudii Philoſophici urgeàt ad ultimatam determinationem. Quod ſi demum prudens electio jam eſt facta certi alicujus ſtatûs, neque tunc inutile, imò ſummè fructuoſum erit exercitium annuum devotionis alicujus ſingularis, qualem hæc inſtructio deſcribit, non quidem ut denuo deliberes, ſed ut te in reſolutione tua confirmes, & ſolides, gratiámque à DEO impetres exequendi, quod juxta ſanctiſſimam ipſius Voluntatem eligendum tibi agnoviſti. Idque non ſolùm his ſuadendum, qui ad Religioſos aſpirant, ſed etiam manſuris in ſæculo, imò his eò magis, quò gravioribus periculis, ac diuturnioribus ſunt obnoxii, donec ad ſtatum actu pertingant.

II. Ex his, quæ dicta, & dicenda ſunt, facilè patet, negotium hoc gravius, & difficilius eſſe, quàm ut ab adoleſcente inexperto prudenter tractari queat ſine Directore; tali enim opus eſſe tum omnes Aſcetæ, tum plurium in utramque partem habita experientia teſtatur partim eorum, qui ſine conſilio elegerunt,

ideò.

idcóque errorem ſuum, cùm jam corrigi ægrè, aut planè non poſſet, primùm agnoverunt; partim eorum, qui felicem, quam fecerunt, electionem nunquam facturi erant, niſi à Viro ſpirituali fuiſſent directi. Eò autem ſolidiùs dirigeris, quo ille te intimiùs noverit, ideo ſinceriſſimè illi manifeſtanda omnia, quorum notitia aliquid ad rem facit. Optimum proinde erit, ſi idem ſit Confeſſarius tuus. Certè qui alicui Viro intelligenti, & ſpirituali, manifeſtat ſuam intentionem, ac motiva, quibus inductus hunc præ aliis ſtatum ambit, ejúsque judicium audit, non tam facilè errabit. Sed hæc conſilii petitio non tunc primùm facienda, quando re non ampliùs integra jam ad certum ſtatum petiiſti, vel ſuſceptus es; tunc enim non adeò facilè ſincerum tibi conſilium dari poteſt. Demum etiam hoc ſciendum, quòd interdum DEUS ipſi deliberanti non manifeſtet ſuam Voluntatem, ſed ipſius Directori, & per hunc velit dici, quid faciendum. Sic Saulus ad Ananiam miſſus eſt ut

ab

ab illo, quid faciendum, disceret.

12. Pro solida electione multum conducit, si scripto adnotes præcipuas cogitationes, & internos motus, quos sentis inter legendum, orandum, meditandum, post Sacram Communionem, & alia similia; id si sincerè & prudenter quavis hebdomada aut die, aut quoties aliquid notabile occurrerit, intra præfixum pro deliberatione tempus continuaveris, senties te mirum in modum proficere in illuminatione intellectûs, & agnitione Divinæ voluntatis, simúlque modum habebis facilem te integrè, cui volueris, manifestandi, si hæc ipsa ei scripta ostendas; ac tandem servire hæ chartæ possunt pro scuto contra plurimas tentationes, & oppugnationes diaboli, quibus facilè resistes, si relegeris olim à temetipso scripta, & agnita motiva ac documenta, &c. Verùm quia hic labor pluribus nimiùm molestus est, & fortè quibusdam etiam dissuadendus positivè, quilibet tamen prudenter fecerit, si circa tempus ultimæ conclusionis

scrip-

ſcriptò adnotet motiva ſuà pro hoc ſtatu, & ſolutiones eorum, quæ opponi poſſent, eáque communicet cum viro tali, de quo confidere poteſt, quòd ſciat, poſſit, & velit prudens in Domino conſilium dare. Porro ſcriptionum ejuſcemodi materiam copioſam ſuggerent ſequentes Conſiderationes, quarum uſus ut fructuoſior ſit, præpara tibi chartæ folia totidem, quot diverſi ſunt ſtatus, inter quos unum electurus es, ita ut in una folii parte rationes pro illo, in altera contrariæ ſcribi poſſint. Deinde his conſiderationibus utere tanquam locis oratoriis, ſeu dialecticis, ex quibus argumenta varia eruere poteris ſive pro, ſive contra aliquem ſtatum. Hæc argumenta fideliter ſuo loco adnotanda ſunt. Quòd ſi ritè fuerit factum, habebis prærequiſita ſeu præmiſſas ad faciendam prudentem concluſionem, & ſtatûs electionem.

Conſiderationes, ex quibus aliquid luminis oriri poteſt deliberanti de vitæ ſtatu.

PARS

PARS PRIMA:

Considerandæ circa ipsum deliberantem.

1. TEmpus, locus nativitatis, nomen. 2. Educatio qualis, cum quibus, inter quos, quæ occupationes tuæ per omnem ætatem, qui Instructores, Confessarii, &c. 3. Parentes. Quem illi tibi animo statum designant? Súntne ita pauperes, ut jure à te alimenta possint exigere? Esne Filius illorum legitimus? Fuerúntne illi, ac Progenitores tui omnes Christiani? 4. Ætas. Jure communi licet ingredi statum Religiosum anno 14. completo. 5. Conditio. Pauperibus cavendum, ne statum, ad quem prorsus inepti sunt, eligant ideo solùm, ut se, ac suos possint sustentare. Divitibus, & Nobilibus attendendum, ne se amore divitiarum, spe honorum, Parentum blanditiis, aut minis sinant avocari ab eo statu, ad quem se â DEO vocari sentiunt. 6. An sis liber? Impe-

peditur enim libertas per servitutem, seu mancipatum: debita pecuniaria, obligationes personales ex contractu serviendi, &c. Sponsalia, matrimonium, juramenta, promissa, vota suscipiendi certum statum, aut si fortè jam Novitius in aliqua Religione fuisti. Hæc enim omnia aliquid tollunt libertatis. 7. Valetudo corporis, an non habeas morbos aliquos hæreditarios, occultos defectus in membris, in visu, auditu, &c. An vires bonas, &c. 8. Complexio naturæ, an aliqua qualitas notabiliter excedat, & quæ? An melancholia, cholera, &c. 9. Talentum naturæ, ingenium, prudentia, capacitas, & animus ad speculativa, humaniora, officia, aulica, castrensia, forensia, œconomica, &c. Talentum dicendi, &c. 10. Artes, scientiæ, linguarum notitia, quis in litteris profectus. 11. Virtutes, ac bona opera à te exercita, ac gratiæ singulares â DEO acceptæ, & quidquid aliud notabile tibi accidit, ut sunt conversio ab hæresi, liberatio â gravibus periculis corporis, aut animæ,

12. Peccata gràviora, ùt sunt homicidia, (etiam homicidium justum potest inducere irregularitatem, &c.) apostasia à fide, maximè si sint publica, & si aliqua ex iis infamia orta, &c. (etiam inculpabilis infamia potest impedire.) Præcipuè considerandi sunt habitus seu consuetudines peccandi. Tales enim si quis in se habeat, cautissimè debet eligere, ne se conijciat in statum, in quo moraliter certum sit, quòd vitam sit ducturus sceleratam, ac tandem æternùm perirurus. Hinc nemo unquam prudens suaserit alicui habituato in vitio carnis, ut statum Ecclesiasticum assumat, aut Religiosum ordinem talem, in quo major, quàm in aliis, libertas: Regulariter enim nihil boni sperandum, nisi pœnitentia, & resolutio prorsus seria & solida præcedat; aliàs expedit talibus nubere, quàm uri, vel certè eligendus is status religiosus. in quo periculis labendi severissimè præcautum sit.

Statum sæcularem periculosè eligunt, qui positivè ad alium à DEO vocati sunt, 2. Qui explicatam in-

ten-

tentionem, & resolutionem non præmittunt, quæ pro hoc statu est maximè necessaria, tanquam magis periculoso. E contra cum ea resolutione securè hunc statum eligunt, qui vocationem ad alium statum non habent, aut qui absque sua culpa in eum, ad quem vocatos se crediderant, non admittuntur, vel propter impedimenta, vel propter competentium multitudinem, &c. Pariter

Statûs Ecclesiastici periculosissima electio est illis, quos DEUS vel huc non vocat, vel positivè ad alium statum evocat, quique eum eligunt ex primaria intentione purè vana, & temporali, obsequendi Parentibus, fugiendi paupertatem, & labores, sustentandi se, & suos, &c. sine ulla reflexione ad finem proprium huic statui, qui est gloria DEI per divinorum Officiorum, ac Sacramentorum administrationem, &c. Præcipuè ineptissimi sunt pro hoc statu, qui habitus pravos peccandi non seriò edomare student; talibus enim status iste est lapis offensionis & petra scandali. At verò qui aliò non

vocati cum ſincero animo cooperandi DEO in ſalutem animarum, ac imprimis animæ propriæ huic ſtatui ſe dedicant; & quæ officii ſunt ſerio exequi ſtudent, ingentium meritorum campum, & occaſionem utiliſſimè in vinea Domini laborandi habent. Juxta eandem ſupra poſitam electionis regulam dicendum, quòd

Statum Religioſum non prudenter eligunt, qui certiora habent ſigna Voluntatis DEI pro alio ſtatu ipſos diſponentis, vel qui poſitiva impedimenta habent pro tali ſtatu: Item qui difficultates potiſſimas alicujus certi ſtatûs non noverunt, aut qui non habent animum ſerium DEO ſerviendi juxta genuinum Spiritum illius Ordinis. Quos autem huc DEUS vocat, vel certè non avocat, ſi ipſi animo reſoluto, atque ex ſincero DEO ſerviendi deſiderio mundum, omniáque temporalia bona, commoditates, voluptates, honores, ac ipſam libertatem contemnant; vitámque æmulam Sanctorum in Ordine Religioſo ducere decernant, hi ſunt, in quos conveniunt copioſiſſima illa

encomia, & privilegia, quibus imprimis Christus ipse, deinde Sancti Patres, ac Ecclesia Universa hunc statum ornant, & omnibus aliis longissimè præferunt. Sed non omnes capiunt verbum istud. In particulari verò

Pro Religione, in qua viget Spiritus, requiruntur tales, qui ad virtutem non vulgarem aspirant, & ad magna pro DEO agenda, & patienda sunt resoluti. Nec enim locum apud hos servant hypocritæ, commoda sua, honores, officia splendida quærentes, & humilia fugientes; tales enim, quantumcunque nobiles, opulenti, aut docti, contemnuntur ab aliis, ipsíque inquietè vivunt, &c.

Religio, in qua magnus rigor quoad corporalia, requirit homines bonarum virium, quíque per hujusmodi pœnitentias cupiunt DEO satisfacere pro peccatis, ac Christum patientem imitari. Refugit delicatos, debiles, commodis suis studere volentes.

Religio, in qua major libertas, ut prudenter ab aliquo eligatur, debet

is

is esse valde propensus ad virtutem, & pietatem, & qui seipsum sciat, & velit regere, ac seriò proponat non sequi exemplum aliorum fortè imperfectorum, sed suam regulam: Sine talibus enim resolutionibus periculum est, ne minùs bene intus vivas, quàm foris eras victurus. Hinc parùm in Spiritu proficient, qui tali statui se adjungunt ex spe promotionum, &c. Aut alio simili fine; quem si non obtinent, omnia perturbant, si obtinent, se quærunt, non DEUM; minimè verò apti sunt, qui sunt habituati in peccatis occultis.

Religio solitariam vitam agens, vel ex parte, vel ex toto amat homines, qui se sciunt honestè occupare, & distrahere. Nimiùm Melancholici pro his non sunt apti.

Pro illa demum Religione, quæ occupatur circa salutem proximi, aptiores sunt, (si cætera adsint) qui talenta habent præ cæteris bona, hîc enim maximè campus est ea impendendi bene; indolem excitatam, sed dirigibilem, resolutiones heroi-

cas

cas pro gloria DEI, & animarum ſalute. Unde, qui debiliores ſunt ingenio, & litteris, aptiores videntur pro ſtatu, in quo ſibi ſolis poſſint vivere.

Sed omnium horum, ac totius deliberationis prima & ultima ac certiſſima Regula eſt Divina Voluntas, cui, ſi conformis ſit electio, erit optima, & ſuccedet tam illa, quàm reliqua.

PARS SECUNDA.

Conſideranda circa diverſos animi motus in deliberante.

INter præcipua ſigna, quibus divina Voluntas agnoſcitur, ſunt interni quidam animi motus, ſeu inclinationes, quibus deliberans ſe impelli ſentit ad aliquem determinatum ſtatum. Quoniam autem hi motus, ſeu Spiritus, ùt vocantur ab Aſcetis, poſſunt etiam excitari à natura, vel à diabolo, ideo probandi ſunt Spiritus, an à DEO ſint: quod fiet ſequenti examine. 1. Ad quos ſtatus per vi-

tam tuam ſenſeris majorem inclinationem? Singulas inclinationes ſeu Spiritus ſic ulteriùs examina. 2. Quo loco, quo tempore, anno, quà occaſione primùm ſe inſinuaverit hic Spiritus? an in oratione, recreatione, &c. An ab ipſa ferè infantia adhæſerit? &c. Ubi nota, licèt aliquando origo ſeu occaſio alicujus Spiritûs videatur potiùs eſſe à natura, quàm à DEO, non tamen propterea reijciendus eſt, ſed ulteriùs examinandus; quia etiam interdum ſimilibus eſcis DEUS utitur ad animas capiendas. 3. An deinceps ad præſens uſque tempus conſtanter manſerit; an remiſerit ejus fervor, qua occaſione, an quia in peccatum lapſus es? &c. Nota ex eo precisè, quòd aliquis jam non ſentiat vocationem, ſeu fervorem, quem olim habuerat, malè argui vocationem non fuiſſe veram, ſed potiùs videndum, an non indignum te hac gratia feceris? 4. Quos effectus in animo producat hic Spiritus? an lætitiam ſanctam cum ingenti deſiderio DEO ſerviendi? an animum trahat ad ſen-

ſualia, & temporalia cum aliqua perturbatione rationis? Nota lætitiam illam, aut triſtitiam ſenſitivam, quæ in ipſum etiam corpus redundat, non eſſe curandam, imò nullum certius boni Spiritûs ſignum eſt, quàm illa gravis reſiſtentia appetitûs ſenſitivi omni conatu ſe opponens Spiritui, qui pro ſe habet appetitum rationalem. 5. An non Spiritus iſte fugiat lucem, hoc eſt, prohibeat ſe manifeſtari alicui Viro ſpirituali: Si enim tenebras amat, cave, ne niger ſit. 6. An ſolùm moveat affectum, an etiam illuminet intellectum proponendo motiva, & rationes pro illo ſtatu, & quas? Item quem videatur tandem finem ſpectare, an gloriam DEI, animæ ſalutem, aut potiùs commoditates, honores? & 7. Quid reſpondeat ad obiectiones, & difficultates, quæ opponi poſſunt? 8. An tibi iſte Spiritus in tali ſtatu maius, quàm in alio ſtatu, promittat ſolatium pro tempore mortis, judicii divini? &c. 9. Si tibi fingas viſibiliter præſentem Chriſtum, Beatiſſimam Virginem, S. Angelum Cuſto-

dem, &c. Quid putas ad hunc Spiritum dicturi essent? Item si fingas aliquem hominem sanctissimum, doctissimum, quique te intimè amet, tuorúmque commodorum sit studiosissimus, quid putas iste sentiret de hoc Spiritu? Tandem quid tu ipse cum maximè in animo bene dispositus, & cum DEO conjunctus es, per actum reflexum sentis de hoc Spiritu. Hoc examen successivè de omnibus tuis inclinationibus fiat.

PARS TERTIA.

Consideranda circa ipsos status diversos.

QUamvis in omni statu salvari possis, non tamen in quovis salvandus esses, vel quia tibi DEUS gratias suas efficaces & finales paravit pro aliquo tantùm determinato statu, vel quia ipse status melior quidem est in se, vel pro aliis, sed non pro te, si te consideres cum omnibus circumstantiis, de quibus in præcedentibus considerationibus ac-

actum. Sic certum quidem est, quòd status Religiosus sit perfectior sæculari, certum tamen pariter est, non quemque prudenter facturum, si illum eligeret. Deinde qui vult prudenter ponderare statûs alicujus perfectionem, non tantùm consideret illum juxta suam exigentiam, & fervorem illorum, qui tale vitæ genus inchoârunt, aut in eo sanctè vixerunt, sed multò magis juxta præsentem constitutionem, & praxim, quæ defacto â potiori parte illius communitatis observatur. His positis deliberans singillatim primûm examinet statum sæcularem Laicum, & Ecclesiasticum hoc modo.

Considerandа circa statum quemcunque Sæcularem, & Ecclesiasticum.

1. QUis finis particularis hujus statûs? 2. Quæ in eo media bene vivendi, fugiendi peccata? 3. Quæ præcipuè occasiones & pericula peccatorum? 4. Quomodo Christum in hoc statu imitabor? 5. Quas occasiones & incitamenta ha-

bebo ad citò & promptè resurgendum à peccatis, & agendam pœnitentiam pro illis? vel possúmne prudenter sperare, quòd in hoc statu non facilè, aus rariùs quàm in alio lapsurus sim in peccata? 6. Quam bonorum operum occasionem, & spem habeo? 7. Meáne talenta, item bona temporalia benè in hoc statu impendam? 8. Quæ officia, quos superiores, æquales, subditos habebo, an proficuos? 9. Quæ occasio juvandi proximum, præsertim consanguineos, Parentes, &c. 10. Quid circa victûs, vestitûs habitationis, &c. rationem commodi vel incommodi? 11. Quæ alia infortunia, qui adversi casus, aut prosperi ad honorum, opum augmentum sperandi, aut timendi? 12. Quæ cura mei habebitur in infirmitate, morte, & post mortem. &c.

Considerանda circa ſtatum quemcunque Religioſum.

HÆc eadem deinceps applicari poſſunt etiam ſtatui Religioſo tum poſitivè, tum comparativè ad alios ſtatus. Præterea in determinato ſtatu Religioſo conſiderari poſſunt ejus. 1. Origo, Fundator, quid, ſi ille ad ſuos nunc è Cœlis rediret, putas ſolatii haberet? 2. Ordinis amplificatio, 3. Viri ſanctitate, Martyrio, doctrina, aut aliis donis illuſtres. 4. Status modernus Religionis quoad locum, perſonas, &c. 5. Quæ ſpes admiſſionis. 6. Quæ probationes, quanto tempore in, aut poſt Novitiatum. 7. Quis finis particularis illius, & quæ præcipua media, quàm conformia vitæ Chriſti? 8. An & quæ præſcribantur, & in praxi ſerventur Exercitia ſpiritualia annua, hebdomadaria, quotidiana, Meditationum nimirum, examinum, lectionis ſpiritualis, & alia Spiritûs adjumenta? 9. Quæ orationes vocales præſcriptæ. Quantum

tempus in Choro, ſeu Horis Canonicis? 10. Quoties confiteantur non Sacerdotes? 11. Quis cultus Beatiſſimæ Virginis? 12. Quæ praxis circa hæreditates & bona adventitia? 13. An omnia neceſſaria quoad victum, veſtitum &c. procuret Religio; an ipſe ſibi Religioſus ea comparare poſſit, aut debeat? 14. An pecunia pro libitu impendenda concedatur? 15. Quis victus ordinarius, quæ jejunia, quæ veſtitûs, lecti, habitationis, ratio, & ſupellectilis quoad libros &c. 16. An mendicatio conceſſa, aut præſcripta 17. An conficienda itinera, quàm longinqua, & quibus ſumptibus, aut an fiat profeſſio ad locum? 18. An, & quæ mortificationes corporales præſcriptæ, nimirum cilicia, flagella, &c. 19. Quæ aliæ graviores moleſtiæ â frigore, calore? 20. Quæ alia apud ipſos habeantur adjumenta ſervandæ, aut pericula perdendæ caſtitatis? 21. Superiores immediati quales, an à communitate electi, an conſtantes, an, & quod refugium ſubditi habeant, ſi cum immediato Superiore

non

non concordent? 22. An consuetudo apud ipsos vigeat, ut Superiores valde invigilent ad spiritualem subditorum profectum, & urgeant disciplinæ observantiam? 23. An plus paternè, an despoticè gubernent? 24. An honores, & dignitates quærantur, an contemnantur? 25. Cujus sit distribuere officia, assignare locum? &c. 26. Quæ officia apud ipsos præcipua? quinam majore sint in pretio, an Concionatores, Docti, Musici, Oeconomi, Devoti, &c. An etiam habeatur respectus nobilitatis? 27. An vitam agant solitariam omnes, aut aliqui? an ex vocatione sua conversentur cum proximis? doceant in scholis, concionentur, confessiones excipiant, administrent Parochias, obeant Missiones, & quamdiu? An & quibus studiis vacare quis possit, aut debeat? 28. An, & quibus concessa sint ex regula vel consuetudine privilegia, & exemptiones à communi disciplina seu observantia, ab obedientia, &c. vel propter ætatem, vel propter officium? 29. An inter æquales vigeat

charitas, an non ſint multùm à tē futuri diverſi quoad conditionem, patriam, ſtudia? &c. 30. An, & quæ recreationes ad relaxandum à laboribus animum ſint conceſſæ? 31. Quæ uſitatæ pœnitentiæ, leves, graves, graviſſimæ? ob quos errores ſeu delicta infligi ſolitæ? 32. Quale commune apud prudentes nomen habeat hic ordo, & quid in illius Religioſis laudetur, quid vituperetur? 33. Quæ cura infirmorum, morientium, & mortuorum?

Hæc enumerata ſunt, non quod ea ante electionem omnia ſcire opus ſit, aut etiam ſemper expediat; quia habita vocationis gratia omnia facilè ſuperantur; ſed ut deliberans aliquam rudem habeat notitiam difficultatum, quas expedit priùs ſcire, quàm experiri.

Conſiderationes pro ſtatu ſæculari.

PEte lumen à DEO, dicendo *Veni Sancte Spiritus* &c: tum Conſidera 1. Poſſe te ſalvari etiam in ſæculo, & in eodem plurimos Sanctè vi-

vixiſſe. In lege veteri nullus erat niſi ſtatus Matrimonialis, in quo ad magnam Sanctitatem pervenerunt tot SS. Patriarchæ, & Prophetæ. Sanctum Elzearium Comitem DEUS ipſe juſſit manere in ſæculo.

2. Non tam multa exigit DEUS à ſæcularibus, quàm à Religioſis, & Eccleſiaſticis, quos ſtatûs ſui ſublimitas ad longè plura, & perfectiora obligat. Sufficit ſæculari ſervare præcepta.

3. In ſæculo multa ſuppetunt, & efficacia ad ſalutem media, uti ſunt Confeſſio, Communio, Sacra Lectio, meditandi etiam, & orandi occaſiones, Conciones &c. quibus ſi bene utaris in ſæculo, certò ſalvaberis.

4. In ſæculo multa bona facere potes, quorum in Religione non datur occaſio; talia ſunt Eleemoſynæ, peregrinationes &c. deinde Chriſtiana educatio prolium res eſt maximi apud DEUM meriti, propter quam Matrimonium ad maximam Sacramenti dignitatem evectum eſt. Si Vir, familiæ caput, domeſticis

ſuis egregijs Virtutum exemplis præ-luceat, & ijsdem ad imitationem ſti-mulet, incredibile eſt, quantos gra-tiæ & gloriæ theſauros ſibi accumu-let. Quàm pulchrum videre non-nunquam familias Sanctiſſimè ordi-natas, ac regulares.

5. Honeſta occupatio, quam con-tinuò habebis in ſæculo, otium ma-lorum omnium incentivum procul à te removebit. Apud benè occupa-tos vix locum invenit tentatio.

6. Non omnes in Religioſo, & Clericali ſtatu piè vivunt; idem ti-bi contingere poteſt, ſi abſque DEI vocantis nutu alterutrum horum am-plectaris. Per ingreſſum in Religio-nem non exuitur caro, & ſanguis, nec dæmoni ablata eſt poteſtas gra-viſſimè tentandi. In ſæculo remedi-um continentiæ eſt Matrimonium: in Religione verò, & ſtatu clerica-li dura pro caſtitate ſubeunda certa-mina.

7. Difficile eſt ſemper ab alterius arbitrio pendere, maximè ſi contin-gat ſuperiores habere aſperos. In ſæ-culo Vives arbitriô tuô.

8. In ſæculo eſt ſpes prudens vitæ longioris, cùm vires non ita atterantur ſtudijs, jejunijs; mortificationibus &c. in Religione ſolitudo continua ſæpè melancholiam parit.

9. Adeſt in ſæculo fidele auxilium, & ſolatium Conjugis inter adverſa: duo plus ferunt, quàm unus. Filij quoque, famuli, & Conſanguinei una cum Conjuge meliùs tibi inſervient in infirmitate; aliísque neceſſitatibus.

10. Spes honeſtæ ſuſtentationis, Commoda licita, honores, divitiæ juſtè acquiſitæ ejuſmodi ſunt, quibus frui abſque noxa potes in ſæculo: Vires tuas examina, Conſidera inclinationes, talenta, ingenium &c. Vitia quoque, & habitus vitiorum &c.

Conſiderationes contra ſtatum ſæcularem.

IMplora DEI auxilium, & conſidera ſequentia Vitæ ſæcularis incommoda.

1. In ſtatu ſæculari multa ſunt, & gravia ſalutis pericula. Tot malorum exem-

exempla, tot peccandi occaſiones, & illicia, etiam piè vivere volentes facilè pervertere, & inſenſibiliter ad interitum perducere poſſunt.

2. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Tranſitorium eſt, quidquid in mundo eſt: Cœlum & infernus æternùm durant.

3. Quid ſunt divitiæ? Cui bono erunt in morte? Nihil hinc tecum auferes. Pecunijs cœlum non emitur.

4. Quid ſunt Voluptates carnis, & ſenſuum? momentaneæ ſunt, belluis etiam communes. Momentaneum eſt, quod delectat, æternum, quod cruciat; & Valde durum, imò vix non impoſſibile eſt, hujus & alterius Vitæ delicijs frui.

5. Deliciæ in cibo & potu, & abundantia quid juvant? Dives ille epulabatur quotidie ſplendidè, & ſepultus eſt in inferno, dum Lazarus eſuriens translatus eſt in cœlum. Quid prodeſt tam delicatè nutrire corpus, quod brevì pòſt erit putredo, fœdum cadaver, & eſca vermium?

6. Quid

6. Quid honores ſunt, etiam primi? fumus ſunt in momento diſparens. Quid ſi etiam centum annis iiſdem frui contingeret, quid hi ſunt ad ætenitatem?

7. Cruces & adverſitates in mundo ſunt innumeræ, ſique rem bene examines, plus patiuntur ſæculares, quàm ipſi Religioſi; hi quidem pro cœlo; illi ſubinde pro Vanitate, & damnatione.

8. Quid ſi uxorem nanciſcaris litigioſam? nullus infernus peior eſt tali muliere; & hoc malum nonniſi ſola morte tollitur.

9. Quid ſi liberi ſint immorigeri, degeneres, improbi? qualis hæc afflictio? quàm ſevera DEO reddenda erit ratio, ſi Parentis culpâ malè ſint educati!

10. Perquam difficile, ac moleſtum eſt, quotidie pro victu, pro veſtitu, & re familiari eſſe ſollicitum. Cura hæc perpetua rerum temporalium ità totum occupat hominem, ut ægrè cogitare de DEO, de ſalute animæ poſſit.

11. Quantâ Curâ pecuniæ corra-

dendæ? quantò timore & curâ cuſtodiendæ? Si verò conatus omnes, DEO permittente, nihil proficiant, & paupertas toleranda ſit, quo animo eam feres? ſæpè multa mala ſuaſit ejuſmodi coacta inopia.

12. Mors difficillima eſt ſæcularibus. Ægrè avelluntur à ſuis; poſſeſſiones plus nimiò amatas, difficulter deſerunt.

13. Durum eſt in medijs ignibus non aduri; picem tractare, nec inquinari: Durum pariter eſt frui mundi bonis, quin animus ijſdem adhæreat; interim tamen qui utuntur ſubſtantia hujus mundi, ſint oportet, tanquam non utentes, ait S. Pet. Quàm pronum eſt nummos injuſtè corradere, præſertim ſi quæ id neceſſitas ſuadeat? &c.

14. Non tamen eſt, quod iſta te abſterreant à ſtatu ſæculari, ſi ad eundem à DEO voceris; omnia potes in eo, qui te confortat. Potuerunt iſti & iſti ſancti ſæculares piè vivere; Cur tu non poteris? Examina iterum Vires, & facultates, inclinationes &c. Celeſte lumen implora.

Con-

Considerationes pro statu Ecclesiastico:

PEte gratiam ritè penetrandi motiva pro, & contrà hunc statum, deinde Considera. 1. Statum Ecclesiasticum ob miram suam dignitatem excellentissimum esse. Quid præstantius, quàm offerre DEO quotidie hostiam incruentam? quid dignius, quàm constitui Mediatorem apud DEUM pro populi peccatis, & interpellatorem pro Ecclesiæ necessitatibus? Horas Canonicas legere officium Angelicum est. Zelus animarum per Conciones, Catecheses, administrationem Sacramentorum, assistentiam moribundorum Sacerdotem ad Divinam quasi Dignitatem elevat; nam teste Dionysio, *Divinorum omnium Divinissimum est DEO cooperari in salutem animarum.*

2. Sacerdos ex integro consecratus DEO est; nihil nisi quod Sanctum est, tractat, sive immediatè circa res Divini obsequij, sive circa animarum curam occupetur. Quo

quid

quid Majus, quid præstantius?

3. Gratia DEI nunquam deest ijs, qui ad hunc statum vocati, sibi & muneri suo ritè attendunt; hac confirmati superabunt magna pericula, quibus cæteroquin abundat hic status.

4. Ingentes meritorum thesauros, & maximam in cœlo Gloriam sibi comparant boni Ecclesiastici, qui exercitia quotidiana pietatis, & continuas proximum juvandi occasiones non negligunt, sed in ijs ferventer, & constanter se exercent.

5. Liquidissimo in morte solatio perfunduntur boni Ecclesiastici, qui fideliter, & exactè munere sibi commisso in vita defuncti fuerint.

6. Status Ecclesiasticus inter sæcularem, & Religiosum est medius, nec hujus arduitatem, nec illius omnia pericula habet.

7. Datur hîc occasio exercendæ illius Charitatis, quæ Martyrio æquiparatur, si nempè vel in peste, vel in alijs morbis contagiosis assistendo infirmis morbum quis contrahat, unde mors sequatur.

8. Ha-

8. Habet hic ſtatus aliquam neceſſitatem bene vivendi, tum quia quotidie, vel ſaltem frequentiſſimè legenda eſt miſſa, tum quia bonis Virtutum exemplis proximus ad bonum ſtimulandus.

9. DEUS jubet Parentibus in neceſſitate ſuccurrere, quod faciliùs fit in hoc ſtatu; quam ob cauſam multi tenentur eum aſſumere, nec Religionem ingredi poſſunt, ſi certa ſit, vel certò futura Parentum neceſſitas.

10. In hoc ſtatu Spes eſt certior honeſtæ ſuſtentationis: Vitæ honeſtas, & commoditas, Melancholiam facilè excludit, & reliquas Vitæ Religioſæ auſteritates, quas non omnes ferre poſſunt.

11. Liberat hic ſtatus à moleſtiſſimis Matrimonij Curis. Qui Solus eſt, faciliùs ſibi providet, quàm multis, atque ita expeditior eſt ad curanda illa, quæ Domini ſunt.

Contra ſtatum Eccleſiaſticum:

1. PEricula & occaſiones peccandi fermè eaſdem cum ſæcularibus habent Eccleſiaſtici; prava malorum exempla, & conſortia, Voluptatum irritamenta, res terrenæ, quas continuò tractant plerique, facilè ipſos à recto tramite abducunt.

2. Cura rerum temporalium, familia, nepotes &c. Spiritum exſugunt, & mentem nimiùm diſtrahunt; pronum eſt inter hæc avaritiæ labem contrahere. Quàm multi ſunt, qui magis ſe immergunt rebus temporalibus, quàm ipſi ſæculares!

3. Facilè contingit, ut hæc temporalium Cura impediat à miſſa devotè celebranda, à ritè peragendis functionibus Sacris, & animarum cura debito modo gerenda: Quibus in rebus negligentem & incurium eſſe, grande in Sacerdote piaculum eſt.

4. Peccata Eccleſiaſticorum gravio-

viora ſunt, quàm ſæcularium, ob ſtatûs dignitatem, & perfectiùs vivendi obligationem.

5. Mors terribilis eſt Sacerdotibus, qui vitam ſtatui ſuo conformem non ducunt, quod quàm facilè eſt tot inter pericula! Manet ipſos judicium rigidiſſimum, & certa damnatio, præſertim ſi ad hunc ſtatum vocati non ſint.

6. Onus etiam Angelicis humeris formidandum eſt animarum Cura; Quid ſi harum vel unica tuâ culpâ pereat? *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Sap. 6. Animarum Cura ex obligatione juſtitiæ incumbit Parochis.

7. Nemo obligationem habet ſtrictiorem Sanctè Vivendi, quàm Eccleſiaſticus: Nemo tot pericula in medio Nationis pravæ.

8. Væ illi, qui ex motivo terreno aſpirat ad hunc ſtatum! Talis à DEO non vocatur. Quàm ſæpè tamen id fit!

9. Vita otioſa apud Eccleſiaſticos eſt læna malorum omnium. Suſpectus tibi eſto, ſi ſtudijs, labore, &

rebus Sacris non multùm delectêre; ſic enim otium apud te locum facilè inveniet.

10. Pronum eſt, ut Eccleſiaſticus nimìs attendat ad curandam cuticulam, & quærendas in cibo, & potu, aliiſque rebus delicias, quibus rerum ſpiritualium guſtus penitus enervetur.

11. Eccleſiaſtici mediocriter tantùm pij magna ſubire debent pro Caſtitate tuenda certamina: tepidi vix illam ſervabunt integram.

12. Si Vocatus es ad hunc ſtatum, magnas nihilominùs patieris difficultates, ut in bono perſeveres tot inter pericula, & peccandi occaſiones: Si Vocatus non es, in certum damnationis periculum te conijcis illum aſſumendo.

Conſideratione pro ſtatu Religioſo.

PEte à DEO lumen agnoſcendi Sanctiſſimam Ejus Voluntatem, tum Conſidera 1. Statûs Religioſi maximam eſſe præ reliquis perfectionem, & excellentiam, tum quia

in

in illo totum se DEO consecrat Religiosus modo perfectissimo : tum quia procul ab illo absunt salutis impedimenta.

2. Religiosis Christus juratò promisit cœlum : *Amen amen dico vobis, quòd omnis, qui reliquerit Patrem, & Matrem, & Fratres, & Sorores propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. Signum prædestinationis est ingressus in Religionem.

3. In Religione absunt salutis pericula, & peccandi occasiones, ac scelerum illicia, quæ habentur in sæculo. Vitia carnis per Castitatem, & mortificationem, ambitio per obedientiam, appetitus opum per paupertatem emendantur. Absunt pravorum exempla, quæ seducant, & peccandi occasiones, quæ alliciant.

4. Abundat Religio efficacissimis salutis medijs, quæ hominem fermè cogunt esse bonum, ùt sunt Regulæ, vigilantia superiorum, assidua Sacramentorum frequentia, exhortationes publicæ, & privatæ, aliorum sanctè viventium exempla, le-

lectio quotidiana librorum spiritualium, mortificatio, meditatio rerum cœlestium, colloquia religiosa, separatio à rebus terrenis, & continua spiritualium tractatio, correctio erratorum, sobria Diæta &c.

5. Teste S. Thoma, & alijs SS. Patribus, qui Religionem ingrediuntur, consequuntur plenam remissionem omnium totius prioris vitæ peccatorum, non secùs, ac si recenter baptizati essent.

6. Religiosus vivit sine ulla cura temporali; nec de victu, nec de vestitu, aut habitatione sollicitus est: atque hinc quantò magìs liber est à curis terrenis, tantò meliùs potest tota mente, & ex integro corde se impendere obsequio, & amori DEI, ferventiùs, & devotiùs vacare rebus spiritualibus, & suæ saluti providere.

7. Qui vivit in Religione sub ductu suorum superiorum, certus est, se semper facere DEI Voluntatem: unde Religiosus nunquam errare potest, quidquid agat, modò ex Voluntate superiorum agat. De his di-

xit

xit Christus: *Qui Vos audit, me audit.*

8. Religiosa vita nihil est aliud, quàm continuum Virtutum exercitium, quarum meritum ex eo plurimùm crescit, quòd fiant ex obedientia, vel Voto, utì docet S. Thomas.

9. Mutua bonorum operum, quæ per totum orbem ab ejusdem ordinis Religiosis fiunt, participatio facit, ut quilibet Religiosus in particulari magnum ex illis meritum habeat, & spiritualem fructum.

10. Dignitas Sacerdotalis quantum solatium Religiosis facit? Conversio peccatorum, assistentia moribundorum, Conciones, Cathecheses, Sacramenti pœnitentiæ administratio quantos meritorum, & Gloriæ thesauros Religioso accumulant?

11. Mors Religioso facilis est, & suavis, tum quia terrenis omnibus pridem valedixit, tum quia summo solatio illum perfundit vita in Religione acta, & habita semper DEO serviendi cura; hinc coram tremendo aliàs Judice comparere non erubescit.

12. Post mortem Religiosi plurima pro Ejus anima Sacra leguntur à Confratribus. Quæ & alia commoda si non essent, hoc solùm sufficeret ad persuadendam homini Christiano Religionem, quòd in ea DEUS magìs ametur, & illi sinceriùs serviatur per exactam Christi imitationem.

13. Consolationibus spiritualibus DEUS Religiosos copiosè recreare solet, & hæ faciunt, ut omnia Religiosi statûs onera dulcescant, & cum gaudio ferantur.

14. Considera statûs Religiosi privilegia ex S. Bernardo: *In Religione homo vivit puriùs* propter observantiam Castitatis, Obedientiæ, ac Paupertatis; *Cadit rariùs* propter evitatas occasiones malas, conversationes perversas, & pericula mundi; *Resurgit citiùs* propter contemplationem Sacrarum Scripturarum, exempla Sanctorum, & conviventium fervorem; *Incedit cautiùs* propter considerationem peccatorum præteritorum, imperfectionum præsentium, & futurorum præmiorum; *Quiescit securiùs* prop-

propter acquisitionem gustûs virtutum, Donorum Spiritûs, consolationum internarum; *Irroratur frequentiùs* propter augmentum bonæ dispositionis, Divinæ gratiæ, & familiaritatis cum DEO; *Purgatur citiùs* propter abundantiam præsentium remediorum, Divinarum inspirationum, & frequentium exhortationum; *Moritur confidentiùs* propter efficaciam privilegiorum Religionis, operum meritoriorum, Auxiliorum fratrum; *Præmiatur copiosiùs* propter præteritam imitationem Christi, Vitam Religiosam, & Victoriam mundi, carnis, & diaboli.

Considerationes contra statum Religiosum.

1. REs est valde difficilis perfectam in Religione vitam constanter ducere, utpote sensibus, & innato erga nos amori prorsus contrariam. Hinc non defuerunt, qui in Religione commoda quæsiêrunt, & sensuum delicias, quæ ipsis vitæ spiritualis gustum penè omnem ademerunt.

2. Trium Votorum obſervatio pariter difficilis eſt. Gravis etiam videtur perpetua illa propriæ Voluntatis abdicatio. Caſtitas perpetua pugnas difficiles pro ſui cuſtodia exigit; quòd ſi contra eam peccetur, Sacrilegium eſt. Paupertas rebus omnibus hominem exſpoliat pro tota vita.

3. Abdicare ſe perpetuò omnibus bonis præſentibus, & ſperatis, commoditatibus in victu, habitatione, veſtitu, ſocijs, amicis, Parentibus, Voluptatibus licitis, honoribus, Dignitatibus, Nobilitate &c. faciliùs dicitur, aut cogitatur, quàm opere ipſo exerceatur.

4. Continua per totam vitam in victu parſimonia, pœnitentiæ rigor, clauſura, ſolitudo, earundem actionum quotidiana repetitio, aliæque mortificationes bene perpendendæ â deliberante, quia hæc faciliùs dicuntur, quàm ut in praxin deducantur.

5. Temerarium eſt in ſtatum tam arduum velle ſe ingerere ſine clara Vocatione DEI; hinc ſunt, qui eum deſerunt, vel tepidè in eo vivunt,

ita ut præstaret, nunquam illum fuisse susceptum. Fieri potest, ut ingressûs in Religionem ferò pœniteat, quando nimirum redire non amplius datur.

6. Habet etiam hic status sua pericula & difficultates, quibus superandis par non eris, nisi à DEO vocatus, ipsius gratijs secundùm regulas vivendo dignum te reddas.

7. DEUS non Vult omnes esse Religiosos, hinc nec talenta, nec vires ad hunc statum omnibus suppeditat.

Considerationes circa diversos Religiosos Ordines.

COnsidera 1. Sacros Ordines non mendicantes à Sanctissimis Viris fundatos, Antiquitatis, doctrinæ, ac Sanctitatis laude celeberrimos esse. Tales sunt Religiones S. Augustini, S. Norberti, S. Benedicti, S. Bernardi, &c. 2. Chorus quotidianus, per quem hi SS. Ordines DEUM continuò laudant, & proximum ædificant, plena solatij res est. 3. Abundant hæ Religiones me-

dijs ſpiritualibus, qualia ſunt, frequens uſus Sacramentorum, tria vota, meditatio quotidiana, Lectio pia, Examina conſcientiæ, opera pœnitentiæ, vigilantia ſuperiorum, zelus animarum in concionando, excipiendis confeſſionibus, &c. 4. Non omnibus incumbit hîc caput nimiùm fatigare ſtudijs, & ſpeculationibus; hinc plus temporis ſuppetit ad exercitia pietatis. 5. Non eſt opus itinerum incommoda ſubire, valetudinem ob mutationem auræ periculo exponere, notos & amicos deſerere, &c. Faciunt huc, quæ dicta ſunt de ſtatu Religioſo in commuui.

Incommoda harum Religionum ſunt. 1. Perpetuitas ſuperiorum, quæ difficilis accidere poteſt illi, cui ſuperior juſtis etiam de cauſis minùs fuerit affectus. 2. Perpetuitas loci, ſociorum & earundem ſemper actionum parere poteſt nauſeam. 3. Subinde locum habere poteſt æmulatio, ambitio, & factiones, unde oriri poſſunt magna incommoda. 4. Paræciarum adminiſtratio difficilis

eſt

eſt ob annexam animarum curam; apud aliquos poteſt ſubinde eſſe periculoſa.

Religiones mendicantes, utì ſunt Patrum Franciſcanorum, Cappuccinorum, Carmelitarum, Dominicanorum, Societatis JESU, &c. Hæc habent commoda. 1. Mutatio frequens ſuperiorum, Sociorum, loci, & occupationum aliquibus tædium tollit, & non rarò valetudini ſubvenit. 2. Mutatio miniſteriorum hominem aptum reddit ad plura, dat occaſionem varia bona proximo præſtandi, & ipſa varietas officiorum addit ſæpe novos animos ad ea meliùs exequenda. 3. Mutatio reddere poteſt hominem in multis magìs eruditum, & idoneum ad ſerviendum DEO, & proximo.

Habent etiam hæc incommoda: 1. Apud quaſdam Chorus, præſertim nocturnus, non caret difficultate. 2. In quibusdam harum Religionum mendicatò vivitur. 3. Stipem colligere ſæpe ſolum, & ſine ſocio incommodis non caret. 4. Studium ſubinde intenſum, mutatio locorum,

habitationis, & officiorum multis est ingrata, noxia &c. 5. Multis superioribus debere se accomodare videtur difficilius &c.

Status Eremiticus, ùt Carthusiæ, Camaldulensium &c. valde commodus est ad contemplationem, & faciendos fructus dignos pœnitentiæ &c. Contrà difficilis esse potest propter solitudinem, stabilitatem, vigilias, jejunia, pœnitentias, Chorum prolixum, silentium perpetuum, Cilicium continuum, perpetuam à carne abstinentiam, &c.

PARS QUARTA.

Reglulæ servientes ad bonam deliberationem.

1. QUid amico tibi longè charissimo, & salutis tuæ cupidissimo in simili casu consilium à te flagitanti suaderes? Idem & tu modò amplectere.

2. Quid in agone mortis, ubi omnia videbis velut somnia transiisse, & solus ibis in domum æternitatis

tuæ,

tuæ, te elegiſſe optabis? Quo in ſtatu tunc temporis te vitam traduxiſſe cupies? Illum modò elige, & fac ea, quæ moriens facta fuiſſe voles.

3. Quid illo momento, quo ab omnibus amicis deſertus, vitæ tuæ rationes redditurus comparebis coram ſummo Judice, qui nec perſonam reſpicit, nec movetur lacrymis, nec precibus flectitur; quid, inquam, illo momento â te electum velles? Id nunc elige, & ſecurus eris.

4. Deliberaturus cura, ut habeas intentionem puram, quæ te moveat ad electionem hujus, vel illius ſtatûs; Intentio hæc alia non ſit, quàm deſiderium perfectè ſerviendi DEO, & ſalutem animæ tuæ curandi. Noli præcisè attendere, quid ſuadeant Parentes, cognati, propinqui &c. Hi ſubinde tantùm ſua commoda quærunt. Mala quoque Intentio foret, ſi quem ſtatum eligere velles, ut in illo commodè vivere, divitias accumulare, gaudijs affluere, & genio litare poſſis.

5. Non ille ſtatus Tibi ſtatim eli-

gendus, qui in se est perfectior; sed ille, qui consideratis tuis talentis, Viribus, capacitate, Virtute, vitijs &c. tibi est convenientior; atque hinc falluntur illi, qui existimant, omnes illos, qui deliberant de vitæ statu, ad Religionem adijcere animum debere.

6. Si DEUS aut natura alicui negavit id, quod hic aut ille status postulat, certus sit, quòd illum non destinet ad talem statum.

7. Cave, ne irâ, tristitiâ, aliáve passione perturbatus, aut symposijs, convivijs, lusibúsque illectus quidquam statuas; cùm enim tunc animus excœcatus, præoccupatus, & minimè indifferens sit, non erit aptus ad DEI Voluntatem cognoscendam.

8. Præprimis statue tibi frequenter ob oculos finem tuæ Creationis, qui est, ut in hac vita DEUM ames, laudes, reverearis, & proin ejus præcepta observes, eique fideliter servias, ac in altera æternam salutem obtineas.

Conſiderationes adjumento futuræ deliberanti.

1. COgita, breviſſimum tempus vitæ tibi ad ſalutem conceſſum, quo ſemel amiſſo in æternùm aliud non dabitur. O ſi damnatis vel unicum daretur momentum! Quanta exultatione & gaudio profectum exinde caperent! Quod ipſis negatur, nunc tibi conceditur. *Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis.* 2. Cor. 6.

Cogita, à Chriſto tibi, aliiſque prænunciatum, quòd pauci omnino homines ſalvandi ſint, atque ſæpiùs recole illud: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Et, *ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* 2. Pet. 4.

3. Cogita cum D. Hieronymo, hanc Vocem tuis aliquando intonandam auribus, *ſurgite mortui, venite ad judicium*, terribilem quidem improbis, probis jucundam. Cave, ne & te feriant illæ voces: *Ite maledicti in ignem æternum.* Matth. 5.

4. Cogita, quantò gaudio in æternùm exultaturi ſint, qui bene vixerint, DEOque modicum hoc tempus addixerint: *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. 2. Cor. 4.

5. Cogita, quanto in honore apud DEUM & homines etiam mortales ſint, qui illuſtri pietate in vita claruêre. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Apoc. 14.

6. Cogita, quid ex omni voluptate quæſita maneat aliud, quàm conſcientiæ dolor, DEI ira, extrema tua maledictio &c. quòd corpus, cui hanc impendis, aliquando futurum ſit eſca vermium. *Subtus te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Iſ. 14. v. 11.

7. Cogita, quanta felicitate beare te in æternùm poſſes, ídque facillimè, ſi ab hoc momento verè agnoſceres, quàm verè ab Eccleſiaſtico dictum ſit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Beatum te, ſi cum generoſa reſolutione DEI beneplacitum in omnibus amplectereris cum

Davide pœnitente dicens: *Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.* Pſ. 118. Et quæ in hoc difficultas? Credis utique aſſerenti Chriſto? *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11.

8. Conſidera crebrò Chriſti Paſſionem; Dolorum hæc abyſſus eſt, Amoris, & bonitatis theſaurus infinitus; officina, in qua purificantur omnes virtutes; ſchola, in qua fiunt Martyres. Quis queratur ſe laborare, cum DEUM, ac Dominum ſuum videt oppreſſum doloribus? *Nolo vivere ſine vulnere, cùm te, Domine, videam vulneratum.* S. Bonavent.

9. Inſpice exempla Sanctorum. Quanta paſſi ſunt Martyres, quanta Confeſſores? &c. Quàm turpe eſt commune cum eis habere nomen, & operibus procul ab ipſis recedere? Quantô ſolatiô adhuc in hac vita frui poſſes, ſi velles imitari Sanctos, qui communem tecum habuerunt naturam fragilem, & imbecillam, ſed roboratam à DEI gratia. Iſtud pro certo habe, nullum inveniri ſolidum, & verum gaudium, quàm in obſe-

quio

quio DEI, & conſcientiæ puritate.

10. Sæpè cogita de morte, fortè brevi adfutura. Cogita, num ſit aliquid, quod illam tibi difficilem reddere poſſet, & ſi quidem ita ſit, ſtatim illud amoliri ſtude. *Timenti Dominum bene erit in extremis*. Eccl. 1. v. 13. Contrà verò *mors peccatorum peſſima*. Pſalm. 25.

11. Poſt mortem nemo te comitabitur; omnia te deſerent, Parentes, amici, mundana gaudia, opes, vitæ commoda &c. in fumum abibunt omnia.

12. Vivens deſcende in infernum ſæpiùs, ne poſt mortem eò detrudaris. Vide, quid ibi agatur, & ſi videatur tibi intolerabile, 30. vel 40. annis tenebroſo carceri procul ab hominum commercio incluſum vivere, cogita, num æternis ignibus addici malis, quàm breve hoc vitæ tempus bene impendere. *Quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis?* Iſai. 33.

MO-

MODUS DELIBERANDI DE VITÆ STATU.

1. EXpendam accuratè, quem ob finem à DEO conditus fuerim; nempe ut per laudem, reverentiam, ac ſervitium divinæ Majeſtati exhibendum tandem Salvus fiam.

2. Curabo, ut animum indifferentem ſentiam ad hoc vel illud vitæ genus eligendum, quodcunque divinæ bonitati magìs placere, meæque ſaluti conſequendæ futurum commodius perſpexero.

3. Divini lumnis radium ſupplex poſtulabo, ne mihi Sancti Spiritûs gratia in re tanti momenti deſit; v. g. *Veni ſancte Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radium. Ah veni pater luminum, da menti purum oculum; ut, quò me ducis, videam, & iter tutum eligam.*

4. Ponam ob oculos *diverſa* vitæ, ac ſtatuum genera, ſic meipſum interrogans: An ultimo fini conſequendo, voluntati divinæ, meíſque viri-

viribus tam corporis, quàm animæ, divina gratia fretis conformior fit Status civilis, seu Politicus? An Ecclecasticus?

Si Politicus;

An Conjugij? vel Cælibatûs?

Si Fccleſiaſticus;

An Sacerdotij ſæcularis, aut Canonicatûs, An Religioſus?

Si Religioſus;

An vitæ contemplativæ? an Activæ? an mixtæ? Si Contemplativa, Activa, vel Mixta, quænam potiùs in particulari, & quas ob cauſas? Ubi ponderanda ſunt non ſolùm commoda, ſed & incommoda propoſiti ſtatûs: item vires animæ, & corporis, non tantùm ſecundùm ſeipſas, ſed etiam ùt ordinaria & conſueta, vel certè firmiter ſperata gratia roboratæ.

5. Duas rationum claſſes faciam, unam motivorum ad hunc potiùs, quàm illum ſtatum me impellentium: alteram retrahentium. Ubi nihil, quod revera ſentit animus, omittam. Difficultates, quoad potero, prævidebo, indagabo, ponderabo, &c.

6. Animum ſic deliberantem identidem ad Deum elevabo per hujuſmodi ſuſpiria : *Domine quid me vis facere? In manu tua ſum, gyra & reverſa me per circuitum, Domine, da, quod jubes; & jube, quod vis.*

7. Rationes utriuſque partis in ſeparata charta annotatas, identidem animo revoluam, & interea, quo me magìs tranquilla mente trahi experiar, velut auſcultans, *Quid in me loquatur Dominus*, obſervabo.

8. Si ex hactenus facto ratiocinio determinatè me in unam partem reſolvere poſſim, reſolutionem totam divinę Majeſtati ſupplex offeram. Nullum tamen votum emittam.

9. Si necdum reſolvere me potuero, divinam opem iterum, atque iterum implorabo; v. g. *Domine Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum; qui ſcrutaris renes & corda; cui perſpecta virtus, & infirmitas mea, tum corporis, tum animæ, deduc me in portum voluntatis tuæ; ut id vitæ genus tandem eligam, & amplectar, quod & mihi magìs proficuum fuerit, & magìs hoc, norificum tibi.*

10. His

10. His peractis ubi me penitus resolvero, vel etiamnum hęsitavero, rogabo meipsum : quid si nunc mortis articulus immineret ? quid si supremo Judici sistendus essem ? quid si consilium hac in re alteri dandum ? quid tum me elegisse optarem ? quid consilij darem ? Et quod tunc mihi electum vellem, vel alteri suaderem, ipse nunc eligam ; ipse mihi suadebo.

11. Rationes, de quibus supra n. 5. & 7. candidè ac fideliter, nulla re, quę animum insederit, per verecundiam celata, communicabo Patri spirituali, viarum istiusmodi gnaro, ac purè meam salutem, & commodum spectanti, unà rogans, ut ipse quoque meam electionem, & electionis exccutionem DEO commendet.

12. Conclusionem ita factam divinę Majestati supplex offeram, ut suprà n. 8. dictum v. g. *Ago tibi gratias, omnipotens Deus, pro benignissima tua manu mihi inter sacrum & saxum hærenti porrecta. Suscipe voluntatem hujus desiderij mei in sinum*

bene-

beneplaciti tui. Qui dediſti velle, da quoque perficere. Infunde cordi meo inviolabilem tuæ charitatis affectum, ut deſideria de tua inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari. Per Dominum &c.

13. Quidquid demum elegero, felicem ejus electi executionem præcipuè à puritate conſcientiæ, ſpiritu otationis, & pia frequentatione Sacramentorum, ac myſteriorum DEI, pendere cogitabo: ideóque me in horum cura ſolertem, & conſtantem exhibebo.

NOTA:

Tametſi Sanctus Thomas. 2. 2. q. 182. Vitam contemplativam activæ præferat, & utrique ſeorſim inſtitutæ mixtam præponant communiter Theologi, ea tamen comparatio non eſt ita nudè accipienda deliberanti de vitæ ſtatu, quin unà ſuas potiſſimùm vires ad hujuſmodi genus vitæ vel idoneas, vel inidoneas attendat.

Etiam in imperfectiore ſtatu perfectiùs vivet, cui propter impedimentum naturæ, vel alterius circumſtantiæ in ſua poteſtate non ſitæ, deerit,

rit, quod exigitur ad perfectiorem: Non omnis fert omnia tellus. Cui Deus, & Natura negat, quod hic, aut ille Status postulat, hoc ipso statum illum à Deo sibi minimè sua, sum existimet. Convenientem quisque sibi tenet statum, qui eum tenet, quem Deus cupit. Neque solis Religiosis dictum est, sed omnibus: *Estote perfecti, sicut Pater meus cælestis perfectus est.* Matth. 5. v. ult. & obligationem enitendi ad perfectionem ad unumquemque Christianum spectare, ex SS. litteris & SS. PP. ostendit Hier. Platus l. 1. Cap. 12. Videri potest Anton Sucquet in via vitę ęternę l. 1. c. 3. & l. 2. c. 1. Lessius de vitę statu eligendo q. 4. 5. 6. Tannerus tom. 3. d. 6. q. 3. dub. 5.

Observanda post deliberationem iis, qui statum Religiosum elegerunt.

1. DEO pro hac gratia (qua post Creationem, & Redemptionem vix Major esse potest) grates age, quod fieri potest in S. Communione, simúlque roga, ut hanc sanctam

ſtam cogitationem in tē conſervet ; & ad eam perficiendam , & amolienda omnia impedimenta vires tribuat.

Poſt DEUM maximè SS. Matri Vocationis tuæ executionem commenda , ut quę ſalutis eſt Mater , ſit etiam ad tuam ſalutem manuductrix. Hęc Religionum omnium Mater eſt. Patronum etiam Vocationis elige , qui eſſe poterit Sanctus aliquis ex illa Religione , ad quam animum adjeciſti .

3. Vocationis adimplendę magnum , ac frequens deſiderium in te excita , & firmiter ſtatue , ob nullam tentationem carnis , mundi , aut hominum ab ea recedere .

4. Frequenter & ardenter DEO te totum offer , deſiderando Illi perfectè ſervire in ſtatu , ad quem vocatum te agnoſcis . Atque hinc ad multa difficilia te prępara . Errant , qui aureos ſibi montes promittunt : ubique invenientur difficultates .

5. Media ad conſervandam Vocationis gratiam idonea adhibe . Certò crede Illius conſervationem & felicem executionem pręcipuè pendere

à pu-

à puritate conſcientię, ſpiritu orationis, & pia Sacramentorum frequentatione; ideóque in his ſolertem & conſtantem te exhibe.

6. Si quos ejuſdem tecum Vocationis eſſe adverteris, age cum illis frequentiùs, cum pijs tamen, & paucis, ac talibus, è quorum converſatione ſit ſpes profectûs in vita Sancta per converſationem ab omni levitate & peccato etiam levi alienam, per colloquia de mundi vanitate, pręſtantia Virtutis, Religioſi ſtatûs felicitate, de periculis in ſęculo &c. tales enim ſermones decent eos, qui mundo valedicere ſtatuerunt.

7. Omnem exceſſum diligentiſſimè cave: nec adeunda hoſpitia, nec convivia, nuptię, compotationes, nec alię, ùt vocantur, Societates frequentandę. Hęc magìs adhuc vitanda, ubi ſuſceptus jam fueris; Cave tunc, ne titulo valedictionis genio indulgeas, convivia, choreas, perverſos ſocios &c. frequentes. Plurimi, horum occaſione, ſpiritum omnem extinxerunt, & vel Novi-

tiatum non ſunt ingreſſi, vel è Novitiatu diſceſſerunt.

8. Cura, ſenſim te accommodare ad modum vivendi ſtatûs electi, inquire de illius conſuetudinibus, praxibus pietatis, mortificationis &c. Et imitari ſtude.

9. Motiva, quæ te ad hunc ſtatum eligendum adduxerunt, breviter conſcripta penes te habe: utile erit illa relegere, cùm tentatio quępiam urgebit, vel alia difficultas fuerit oborta; quas etiam tuo Patri ſpirituali indicabis.

10. Vocationis executionem ne differ, multò minùs ab eadem omninò recedendum erit; nam mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, non eſt aptus Regno DEI.

11. Votum amplectendi ſtatum, quem elegiſti, non facilè emittas; quia remittente fervore concepti Voti pœnitudo ſubire te facilè poſſet, Cujus tamen valde difficilis eſt ſolutio, cùm ſit reſervatum ſummo Pontifici. Saltem nihil ages inconſulto Confeſſario.

12. Ubi ſuſceptus jam fueris, ma-

ximâ curâ ōrātioni insistendum, & vitanda malorum Societas & consuetudo, quod quidem omnes Religiosorum ordinum Candidati etiam ante susceptionem habere debent commendatissimum. Susceptus tentantes audire noli; Prępara te ad ultimos Parentum conatus, blanditias, & lacrymas; Vide, quomodo his obviare debeas, ne emolliatur animus. Abiturus tandem illa die communica, & Parentibus valedicens ab ijs flexis genibus Benedictionem pete, sícque resolutus calcato mundo ad Christi Crucem avola. Cave in seperatione tristitiam ullam admittas, hilarem enim datorem diligit DEUS. Sic Tyrocinij limen tanquam cœli fores adi, & Religiosam vitam cùm incipis, perfectè incipe, & age.

Observanda ijs, qui elegerunt statum Ecclesiasticum.

1. PRopositum, ac desiderium DEO in hoc statu perfectè serviendi sępe renova. Desiderium etiam juvandi proximum frequenter repete.

2. Per-

2. Fer Sacramentorum frequentiam, Conſcientię puritatem, & orationis conſtantem fervorem gratiam à DEO efflagita, qua idoneum fias Divinę Glorię inſtrumentum.

3. Peccati horror maximus altas in animo tuo radices agat; nihil iſto neceſſarium magis, ut in tam periculoſo ſtatu animam non lędas. Hinc firmum propoſitum nunquam peccandi graviter ſępiſſimè renova. Eum in finem graviſſima & innumera mala, quę ex peccato pullulant, penitus habe perſpecta. Quantâ DEUM afficiat injuria, probè conſidera; neque enim ſine his adminiculis diu ſtare poteris.

4. Ea tibi comparare ſtude ſcientiarum adjumenta, quibus idoneum te reddas ad tam ſublimem ſtatum, & animas ſine proprię ſalutis diſpendio juvandas.

5. Ingentem rerum terrenarum contemptum animo concipere te oportet; abſque hoc facilè tibi adhęrebit turpis avaritię labes, amor commodorum, & quę ſunt hujuſmodi.

6. Cùm ſtatus Eccleſiaſticus ſ

pluribus periculis expositus, quàm. Religiosus, prępara jam te ad ea evitanda, & ea saltem media adhibe, quę dixi adhibenda ab illo, qui elegit statum Religiosum; & crede, si impius fuisti in sęculo, vix pium te futurum in statu Ecclesiastico tot inter pericula.

Observanda illi, qui statum sæcularem elegit.

1. IS quàm maximè sibi notet, quę pro statûs Ecclesiastici Candidatis secundo, & tertio loco fuêre præscripta; nam dictis adjumentis nemo est, qui magìs indigeat, quàm sęcularis, utpote innumeris peccandi periculis, & occasionibus quotidie expositus.

2. Propositum faciat inviolabile semper utendi summâ diligentiâ mediis spiritualibus, tum ut à gravi ore lapsu præservetur, tum ut resurgat quamprimùm, si fortè in peccatum sit lapsus.

3. Finem, ob quem creatus à DEO est, sępè sibi statuat ob oculos; neque

2. Per Sacramentorum frequentiam, Conscientiæ puritatem, & orationis constantem fervorem gratiam à DEO efflagita, qua idoneum fias Divinæ Gloriæ instrumentum.

3. Peccati horror maximus altas in animo tuo radices agat; nihil isto necessarium magis, ut in tam periculoso statu animam non lædas. Hinc firmum propositum nunquam peccandi graviter sæpissimè renova. Eum in finem gravissima & innumera mala, quæ ex peccato pullulant, penitus habe perspecta. Quantâ DEUM afficiat injuria, probè considera; neque enim sine his adminiculis diu stare poteris.

4. Ea tibi comparare stude scientiarum adjumenta, quibus idoneum te reddas ad tam sublimem statum, & animas sine propriæ salutis dispendio juvandas.

5. Ingentem rerum terrenarum contemptum animo concipere te oportet; absque hoc facilè tibi adhærebit turpis avaritiæ labes, amor commodorum, & quæ sunt hujusmodi.

6. Cùm status Ecclesiasticus sit

pluribus periculis expoſitus, quàm Religioſus, prępara jam te ad ea evitanda, & ea ſaltem media adhibe, quę dixi adhibenda ab illo, qui elegit ſtatum Religioſum; & crede, ſi impius fuiſti in ſęculo, vix pium te futurum in ſtatu Eccleſiaſtico tot inter pericula.

Obſervanda illi, qui ſtatum ſæcularem elegit.

1. IS quàm maximè ſibi notet, quę pro ſtatùs Eccleſiaſtici Candidatis ſecundo, & tertio loco fuêre preſcripta; nam dictis adjumentis nemo eſt, qui magìs indigeat, quàm ſęcularis, utpote innumeris peccandi periculis, & occaſionibus quotidie expoſitus.

2. Propoſitum faciat inviolabile ſemper utendi ſummâ diligentiâ mediis ſpiritualibus, tum ut à graviore lapſu præſervetur, tum ut reſurgat quamprimùm, ſi fortè in peccatum ſit lapſus.

3. Finem, ob quem creatus à DEO eſt, ſępè ſibi ſtatuat ob oculos; ne-

que

ſum ; hoc eſt, ęternam beatitudinem conſequar, & unà tecum Deum meum ęternùm intuéri, & laudare merear. Amen. *Ex eodem.*

ORATIO

Quotidie dicenda poſt Electionem.

DEUS, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inviolabilem tuæ Charitatis affectum, ut deſideria de tua Inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO.

Pro perſeverantia in concepto bono propoſito.

O Benigniſſime Deus, oſtendiſti mihi viam, in qua ambulem; Judicia tua, & leges manifeſtâſti mihi, nimirum in ſtatu hoc N. me tibi vis ſervire, gratiam oro, impertire, ut huic meo propoſito conſtanter inſiſtam, atque æternam ſalutem conſequar. Amen. *Ex eodem.*

AC-

ACTUS RESIGNATIONIS in DEI Beneplacitum,

DOmine, non potest esse nisi bonum, quidquid de me feceris, si me vis esse in tenebris, sis benedictus; si me vis esse in luce, sis iterum benedictus; si me vis tribulari, sis æquè semper benedictus, Ah! pone me, Domine, ubi vis; liberè age mecum in omnibus. In manu tua sum: gyra, & reversa me per circuitum. En servus tuus ego sum, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi, utinam dignè, & perfectè! Amen.

FINIS.

ſum ; hoc eſt, ęternam beatitudinem conſequar, & unà tecum Deum meum ęternùm intueri, & laudare merear. Amen. *Ex eodem.*

ORATIO

Quotidie dicenda poſt Electionem:

DEUS, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inviolabilem tuæ Charitatis affectum, ut deſideria de tua Inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO.

Pro perſeverantia in concepto bono propoſito.

O Benigniſſime Deus, oſtendiſti mihi viam, in qua ambulem; Judicia tua, & leges manifeſtâſti mihi, nimirum in ſtatu hoc N. me tibi vis ſervire, gratiam oro, impertire, ut huic meo propoſito conſtanter inſiſtam, atque æternam ſalutem conſequar. Amen. *Ex eodem.*

AC:

ACTUS RESIGNATIONIS: in DEI Beneplacitum,

DOmine, non potest esse nisi bonum, quidquid de me feceris, si me vis esse in tenebris, sis benedictus; si me vis esse in luce, sis iterum benedictus; si me vis tribulari, sis æquè semper benedictus, Ah! pone me, Domine, ubi vis; liberè age mecum in omnibus. In manu tua sum: gyra, & reversa me per circuitum. En servus tuus ego sum, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi, utinam dignè, & perfectè! Amen.

FINIS.

ſum ; hoc eſt, ęternam beatitudinem conſequar, & unà tecum Deum meum ęternùm intueri, & laudare merear. Amen. *Ex eodem.*

ORATIO

Quotidie dicenda poſt Electionem:

DEUS, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inviolabilem tuæ Charitatis affectum, ut deſideria de tua Inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO.

Pro perſeverantia in concepto bono propoſito.

O Benigniſſime Deus, oſtendiſti mihi viam, in qua ambulem; Judicia tua, & leges manifeſtâſti mihi, nimirum in ſtatu hoc N. me tibi vis ſervire, gratiam oro, impertire, ut huic meo propoſito conſtanter inſiſtam, atque æternam ſalutem conſequar. Amen. *Ex eodem.*

AC:

ACTUS RESIGNATIONIS. in DEI Beneplacitum,

DOmine, non potest esse nisi bonum, quidquid de me feceris, si me vis esse in tenebris, sis benedictus; si me vis esse in luce, sis iterum benedictus; si me vis tribulari, sis æquè semper benedictus, Ah! pone me, Domine, ubi vis; liberè age mecum in omnibus. In manu tua sum: gyra, & reversa me per circuitum. En servus tuus ego sum, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi, utinam dignè, & perfectè! Amen.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Instructio practica pro deliberantibus de certo vitae statu deligendo

Tridentum 1733
Asc. 2565
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10263814-1